

peccato: nec materni conceptus dies unus sine peccato est: Sed concipimur in peccato parentum, & in delictis nascimur, sed & ipse partus noster sua habet contagia.

Ambros.
in Apolog.
Davidis.

42. Et D. Augustinus, Parvuli inquit, naturâ peccatores sunt, qui propter peccatum, quod in eos non actione, sed conceptione feminis pertransijt, moriuntur. Non enim morerentur, si cœno peccati non alerentur.

Aug. l. 5,
cont. Pelag.

43. Neque diversum quid (uti nonnulli hodie ex Sacramentarijs somniant) de liberis, ex pijs ac renatis parentibus in lucem editis, hac in questione fuerit statuendum.

44. Quamvis enim lues illa parentibus per gratiam sit remissa: quia tamen Generatio non est gratiæ, sed naturæ opus proprium, & ut scitè D. Augustinus loquitur, quia fidelis non generat eum, vnde regeneratus, sed vnde generatus est: fit ut de fideli & renato non nascatur fidelis & renatus. Aug. Ser. 14. de verb. Apost.

45. Id quod idem Augustinus loco citato, præclaris similitudinibus explicat. Miraris inquit, quare peccator nascatur de semine iusti, non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivæ. Accipe aliam similitudinem: iustum baptizatû pone

pone